



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

21. Lotharius Francorum Rex, petente Emma coniuge, an. 976. villam Aines seu Haines restituit Iudithae Abbatisae Marchianensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

habeat, nisi Abbas & Aduocatus, quem sibi ipsi vulem & necessarium elegerit.

Et ut hoc auctoritatis nostrae preceptum firmum & stabile permaneat, hanc chartam conscribi fecimus, quam & propria manu subitus firmauimus, annuliisque nostri impressione signari iussimus.

Signum Domini OTTONIS, magni &c inuictissimi Imperatoris Augusti.

Luidolphus Cancellarius, ad vicem Wilhelmi Archicapellani, recognoui.

Datum XI. Kalend. Februarij, anno Dominicæ Incarnationis 966.  
DCCCC. LXVI. Indictione nona, anno regni Domini Ottonis XXXI. Imperij vero IIII.

Aetum Traiecto, in Dei nomine feliciter, amen.

### N O T A T I O N E S.

OTho I. Imp. patri suo Henrico Aucipi, an. 936. die 2. Iulij defuncto, in regnis Germania & Lotharingia successit. Anni 962. initio, Romæ à Ioanne Papa est coronatus Imperatori; vt Regino & Flodoardus testantur. Obiit an. 973. die 7. Maij.

Successit OTho II. filius eius, iam ante, petente patre, ab eodem Ioanne Papa Romæ Rex & Cæsar coronatus; videlicet sub finem anni 967. vt idem Regino narrat. Ab ista coronatione, anni tam regni quam Imperij Othonis II. deducuntur in diplomatibus.

WOMARVS ) idem, fuit Abbas S. Bauonis Gandensis; vt ex diploma Othonis II. colligi videtur, quod in Codice donationum piarum cap. 39. produxi.

### C A P V T. X X I.

Lotharius Francorum Rex, petente Emma coniuge, an. 976. vil-  
lam Aines restituit Inditha Abbatisse Marchianensi.

**I**n nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. LOTHARIUS miseri-  
cordia Dei Francorum Rex. Si seruorum Dei utilitatibus subue-  
niendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudi-  
nem fore, nullo modo ambigimus.

F a

Qu-

Quapropter nōuerit omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium, nostrorumque tam præsentium quām & futurorum industria, quod carissima coniux nostra H E M M A, adiens nostram præsentiam, humiliter deprecata est, ut quandam villam, nomine Aines, quæ tempore Arnulfi Comitis, sororibus & fratribus in cœnobio S. Riefrudis degentibus, iniuste sublata fuerat, ob remedium nostrarum animarum, seu antecessorum nostrorum præcedentium, iam dicto cœnobia redderemus.

Cui assensum præbentes, more prædecessorum nostrorum Regum, reddimus atque concessimus prædictam villam Aines, in integrum cum omnibus ad se pertinentibus, ut deinceps habeant, tam Abbatissa Iudith, quām prædictæ sorores, nec non fratres ipsius monasterij S. Riefrudis, potestatem faciendi quicquid voluerint, sine villa nostra, successorumque nostrorum prohibitione.

Et si quis eis per quoduis ingenium auferre quæsuerit, iram Dei omnipotentis, & beatæ Riefrudis, Sanctorumque omnium incurat, libras verò auri persoluat C. medictatem Cameræ nostræ, medietatem verò prædicto monasterio.

Et ut firmius maneat hoc, inconvulsumque seruetur, manu propria subtersignauimus, & annulo nostri palatij iussimus insigniri.

Signum domini Lotharij gloriosissimi Regis.

Adalbero Notarius, ad vicem Domni ADALBERONIS Archiepiscopi, summiisque Cancellarij, recognouit & subscripsit.

*Anno  
976.* Actum Doacense castello, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC LXXVI, regnante domino Lothario, anno XXII. felicitate,

### N O T A T I O N E S.

De Marchianensi monasterio ad Scarpum fl. tertio lapide à Duaco, à S. Riefrude fundato (quod olim vtriusque sexus fuit) vide Origines nostras Benedictinas, & supra cap. 10.

LOTHARIUS) Francorum Rex, frater fuit CAROLI Lotharingie nostræ Ducis ab Othonে II. Imp. an. 977. creati, & an. 986. viuere desijt. Vxorem habuit Hemmam, sive Emmam.

ARNULFI) Comitis Flandriæ.

AINES)

AINES) vicus est prope Bassam, Artesiæ opidum, quem hodie  
que Marchianenses possident.

DOACENSE castellum) hodie Duacum, Donay, Flandriæ opidum, ad fl. Scarpum, Academiâ per Philippum II. Regem Catholicum an. 1562. nobilitatum: quod fusè describit Buzelinus in sua Gallo-Flandria.

## C A P V T X X I I .

*Lotharius Francorum Rex, petente Emma coniuge sua, Mareolensi monasterio, prope Atrebatum sito, an. 977. restituit prædia, eidem à Fulberto Episcopo Cameracensi & alijs attributa.*

**I**N nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Diuina præordinante gratia Rex **LOTHARIUS**.

Si in diuinis cultibus Ecclesiam Dei ad summum sanctæ religionis statum sustollere conamur, ab ipso omnium bonorum remuneratore confidimus nobis fore compensandum.

Igitur notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus & futuris, quoniam nostræ dignitatis præsentiam dilecta coniux nostra **EMMA** adiens, nobis retulit dolendo, quodam cœnobium, à venerabili Fulberto præfule, sub regulari Canonorum norma, nobiliter secus Atrebatum, super Satis fluenta, olim constructum fuisse, quod situm est in villa, quæ dicitur **MAREOLVM**, nunc verò penitus destructum per violentiam sœularium, & nimiam cupiditatem Theudonis Episcopi, remotis inde omnibus, quæ prædictus Fulbertus eiusque successores tradiderunt cœnobio S. Amandi & S. Bertiliæ, ad opus fratrum, ob remedium animarum suarum, nostrorumque antecessorum.

Quocirca prælibata coniux nostram reuerenter expetijt munificientiam, ut concessas res, præcepti nostri munimine, iam dicto monasterio corroborare dignaremur.

Nos verò interuentu dilecta coniugis nostræ **Emma**, fidelisque Dridonis, ob spem diuinæ remunerationis, pro situ & incolumente regni nostri, pia petitioni assensum præbuiimus, & iam dictas res Canonicis prælibati monasterij reddi præcipimus:

Scilicet manum in Dominicatu, quod Fulbertus Episcopus

F 3

dedit